

ponitur. Hic habemus Habakukum filium Jesu Danieli cibos apportantem, oriundum ex tribu Levi; illic vidimus Habakukum ex tribu Simeon Danielis opsonatorem. Ex diversis ergo traditionibus desumptae sunt Epiphanii & Hieronymi narrationes, neque constat utram sequamur certiolem.

§. 3.

Quo tempore noster propheta vixerit, suaque ediderit vaticinia, certo non constat, neque enim annum, neque Regis nomen in iis legimus. Indicia, ex quibus aetas ejus colligitur, sequentia esse videntur. Primum extat Cap. I. 5. ubi propheta nomine Dei praedixit, Deum operaturum esse opus in diebus Judaeorum tunc viventium, verba Prophetae sunt: *Ecce ego (Deus) operaturus sum opus in diebus vestris, quod non credetis, cum narrabitur.* Subjicit propheta, hoc opus esse adductionem Chaldaeorum, pergite enim, *quia ecce ego suscito Chaldaeos v. 6.* Ex quo infertur, prophetam brevi tempore ante Chaldaeorum primam invasionem esse vaticinatum: Eodem sensu locutus est Jeremias cap. XVI, v. 9. de eadem devastatione Chaldaeorum: *Ecce ego cessare faciam de loco isto, in oculis vestris, in diebus vestris, vocem gaudii & laetitiae.* Praedicit Jeremias, cessationem gaudii & laetitiae secuturam esse, Judaeis tunc viventibus, hoc enim docent verba, *in oculis vestris, in diebus vestris*, quae non permittunt, ut ad Manassis tempora remotiora, sed potius ad propinquiora Jojakimi respiciamus. Secundum indicium petimus ex Cap. I. v. 6. seqq. Propheta ibi describit Nebucadnezaris exercitum potentem & terribilem, cujus equi leviores pardis, equites plurimi instar aquilarum advolantes, potentiam regis tantam esse dicit, ut reges

A 2

urbes.